DISSERTATIO MEDICA

14

INAUGURALIS,

DE

ASCITE ABDOMINALI.

ROBERTO RUTHERFORD, AUCTORE.

Quum corpus humanum secunda valetudine fruitur, vasis exhalantibus profluit humor, qui perpetuo varia cava corporis lubricat atque humectat; dum eodem tempore aliis vasis absorbetur. Cum igitur actio absorbentium exhalantibus æqualiter respondet, æquilibrium instituitur, quod semper in valetudine secunda accurate sustinetur. Cum autem hoc æquilibrium sanitati adeo necessarium in hanc vel illam lancem inclinat, valetudo

Edinburgh
1815

semper plus minusve afficitur. Incrementum humoris vasis extremis arteriarum, sive exhalantibus effusi, vel diminutio actionis vasorum (absorbentium nempe) quæ humorem effusum tollunt, vel error amborum æquilibrium perdit, inclinationemque statuit, qua, humor in cavo brevi colligitur, hydropemque ibi facit. De collectione autem in cavo abdominis, quæ *ascites abdominalis* appellatur, in paginis sequentibus quantum ingenio possumus fert animus tractare.

DE MORBI HISTORIA.

Initio morbi vultus pallidus est; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, et inordinatus. Cutis arida et aspera, cutemque anserinam sæpe representat. Afficitur ægrotus anorexia, intestinorum doloribus, siti

magna, continua, et molesta. Urina parce fluit, atque nunc limpida, nunc turbida, lateritia, vel crocea profunditur. * Alvus per totum morbi decursum astricta esse solet; attamen nonnunquam supervenit diarrhœa. Hæc omnia signa tamen non semper adsunt; alia enim aliis temporibus sese ostendunt. Tumor accumulatione humoris, corpore erecto regionem hypogastricam primo occupat; sed magis magisque auctus, denique totum abdomen implet. Distentio, sensusque gravitatis, simul cum corporis positu differunt; ægro erecto tumor gravitate humoris in regionem hypogastricam decidit, recubante autem, latus inferius magis occupat. Si in abdomine manum alteram imponamus, dum ex parte adversa altera pulsamus, sensus aquæ fluctuantis manifestus est, et sonum etiam sæpe audimus.

---

* Lieutaud.

Morbi gradibus profectioribus abdomen magnopere tumet, signaque graviora evadunt. Æger, lassitudine, somno perturbato, hebetudine, anxietate, nauseaque vexatur. His accedit inflatio, quæ aliquando eo procedit, ut ventriculum omnibus concoctionis muneribus inhabilem reddat: respiratio difficilis et laboriosa, quæ nonnunquam ad orthopnœam advenit; quia aquæ quantitas magna descensum septi transversi impedit, et ita capacitatem thoracis minuit. Torpor magis magisque urget, vultus pallidus, labra interdum livida, extremitates frigidæ sunt. Hæc signa tamen imprimis conspicua in hydrothorace adsunt, sed quodammodo etiam in ascite. Lentò gradu interdum hic morbus procedit, interdum cursum accelerat, et brevi vitam ægroti terminat. Cum autem febris hectica, et dolores graves eum diutius lacessiverint, denique exhaustus post animi deliquium et comam in morte quiescit.

DE CAUSIS.

Quoniam hydrops e secretione aucta pendet, vel absorptione diminuta ; satis constat omne, quod illam augeat vel hanc minuat, morbum inducturum esse. Quicquid enim corpus debilitat, in hac re hydropi proclivitatem dare potest. Itaque persæpe morbos acutos, sicuti febrem, hepatitidem, cæterosque subsequi visus est. Exinanitiones cujusque generis immodicæ ; vita sedentaria ; domicilium parvum ; aer impurus ; victus inops, et parcus ; affectus animum deprimentes, vinum, aliique liquores fermentati, nimis liberaliter sumpta, corpus debile

faciunt, ideoque haud raro hydropem excitant.

Quodcunque impedimento fuerit libero sanguinis transitui plus minusve hydropem efficiet. Inde evenit polypos in magnis vasis cordis, partes cordis ipsius, vel valvulas ejus, aut vasa magna in os conversa; scirrhum visceris, sicuti, hepatis, splenis, pancreatis, glandularum mesenterii; sed præsertim hepatis, causas esse frequentes hydropis "et "certe," inquit Morgagni "quæcunque "pars, imo quæcunque causa diutius potest "sanguinis, aut lymphæ cursum morari, aut "humoris quo cavæ corporis madent præter "modum, aut secretionem augere, aut ex- "itum deinde imminuere morbo huic potest "originem præbere." * Frigus ventriculo applicatum potu nimis frigido, præcipue si corpus exercitatione nimia prius calefactum

* Morgagni de Sed. et Caus. Morb. Epist. 38.

sit, quam potus sumptus esset, hydropis persæpe excitans causa est.

Debilitate quoque exhalantium, plus solito humoris, sæpe effunditur, vel contra, vasa absorbentia debilitate laborantia, humorem non in quantitate justa hauriunt, et inde hydrops oritur. Porro laxitas et debilitas, quæ oriuntur ex humore jam accumulato atque indies increscente, medico haud parvum officient. Quicquid venas, et vasa lymphatica comprimat, sicuti tumores et aneurismata, iisque fluxum humoris tardet et impediat, ascitem moveat. Hydrops saccatus irritationem faciendo ascitem etiam inducere potest. Exemplum ascitis tumore saccato erupto illatæ in tentam. med. habemus. *

---

* Medical Essays.

DE DIAGNOSI.

Hydrops saccatus, tympanites, et graviditas, cum ascite abdominali possunt confundi.

Hydrops saccatus sæpe extitit complures menses antequam æger sive negligentia, sive modestia medicum consulat, et tunc fortasse abdomen adeo æque distenditur, hunc morbum ab ascite abdominali distinguere esse difficillimum. Maximi est igitur, ut medicus animum attendat historiæ, quam dat ægrotus morbi, et ordinem atque progressum signorum intelligere conetur. Hac in specie hydropis tumor initio haud multum extenditur, tensio et dolor obtusus in parte tumefacta sentiuntur. In ascite fluctuatio prope spinam dorsi sentiri potest, quod rarissime evenit hy-

dropi saccato. Progressio morbi plerumque tardior est, quam in ascite abdominali; et præterea, aqua remanet fere eodem in loco, quocunque statu æger se habet; contrà autem in ascite partem inferiorem semper occupat. In saccato respiratio non adeo difficilis inter ambulandum, vel acclivitatem ascendendum ut in ascite abdominali est. In saccato etiam appetitus vix diminuïtur; sitis minus urget; et corpus totum minime emaciatur; crura, nisi cum tumor permagnus est, non tumida, sed in morbo utroque tamen menses feminarum sunt ordinati, neque conceptio impeditur.

In *Tympanitide* integumenta abdominis æque distenduntur; si premuntur, manui non facile cedunt, quum autem pressus removetur formam ejus priorem abdomen cito resumit; et quum leniter et subito percussum tremit, et vibrat; sensus ponderis minor quam ex magnitudine putaverimus. Mo-

lestia propter magnam distentionem multum allevatur flatûs expulsione.

Ascitem a *Graviditate* dignoscere non difficile est, nam mensium suppressio, mammarum incrementum, papillarum areola, vultus mutatio, mane ægritudo, et postea motus infantis graviditatem satis ostendunt, et diagnosin statuunt.

DE PROGNOSI.

Causæ ascitis minime omni tempore apparent nec cognosci, nec semper submoveri possunt, nam pendet fortasse morbus ex aliqua viscerum affectione organica quæ non cerni potest propter abdominis distentionem; et etiam aqua non facile absorbetur; ideoque cum ascites menses complures per-

mansit, vix nobis spem curationis efficiendæ indulgere licet. In prognosin igitur statuendo quæ equidem incerta est, animum causis, durationi morbi, signis, ætati, constitutioni, viribusque ægroti, vertere oportet. Cum alius morbus tumorem ascitis non antecessit; et aqua, etiamsi celeriter formata, non diu permansit; si æger est florente ætate, et constitutio ejus non intemperantia labefacta, et præsertim quum nulla viscerum effectio organica præcedit, et cum humoris accumulatio haud magna extitit; nec febricula, neque dyspnœa, neque sitis urgens, tunc, ni fallimur, prognosin faustam dare licebit. Sin provectiori ætate sit ægrotus; morbis prioribus solutus, et debilitatus, atque epulis poculisque deditus sit; si febris adest sitis magna, urina parca, et dyspnœa; si abdomen magis magisque tumescit, et plurimum distenditur; si post usum remediorum potentium ne morbus quidem allevetur; et quum longius procedit, diarrhœa evenit, plerumque, ut primo ab Hippocrate dictum est,

aliisque auctoribus postea, funeste terminat; hic igitur necesse, medicum caute prognosin edere; et raro quidem accidit, etiamsi operationi paracenteseos decurratur, rem magis quam antea judicavisset, fauste eventuram esse.

DE SECTIONE CADAVERIS.

Cadaverum inspectio causas morborum evidentes nobis interdum ostendit, et effectus eorum in corpus humanum. Res sæpe apparent quæ remediis potentissimis restiterunt, et arte humana nequaquam removeri potuerunt. Cadavera eorum, qui Ascite mortui essent, inspiciendo sequentia invenimus. Cor et vasa ejus magna varie affecta sunt; interdum more inusitato aortam auctam, ut fit in arcûs ejus aneurismate; et hujus arteriæ, et

pulmonalis valvulas, et tunicas plus minusve in substantiam osseam conversas, videmus. In auriculis et ventriculis cordis et magnis in vasis ei adjunctis, Morgagni et auctores alii concretiones polyposas etiam viderunt.

Cum recordamur plerosque qui sub ascite laborarunt vino aliisque liquoribas fermentatis nimis liberaliter deditos fuisse, non mirandum est hepatis affectiones sæpius apparere. Hepar sæpe reperitur amplificatum, septo transverso aliisve partibus adhærens, et præterea plus minusve induratum, et tuberculis extrinsecus coopertum, intus stipatum. Totum viscus ex granis exiguis formam pisorum exhibentibus, aut ex multis glandulis conglomeratis constat. "Viscus totum," inquit Morgagni "e meris glandulis aut ex lobulis constare visum est." *

Doctor Monro tertius mentionem facit

* Morgagni de Caus. et Sed. Morb.

de casu, quo hepar induratum multo minus esset, quam consuetudo fert. * Splen est frequenter in hoc morbo affectus, tamen rarius hepate; adeo amplificatus aliquando repertus est, ut bis terve amplius esset solito, et etiam induratus; et in exemplis quibusdam corpuscula miliis similia, aut alba et subrotunda, et interdum cartilaginosa et ossea, modo minora, modo majora, in aspectu ejus externo apparuerunt.

Pancreas et glandulæ mesenterica aucta et indurata sæpenumero inventa sunt.

Indicia inflammationis apparent in aspectu externo intestinorum; et si canalis intestinorum patefactus est, tunica villosa non mediocriter inflammata visa est.

Scherbius † memorat casum Ascites, cui

---

* Audi prælectiones.

† Morgan de Sed. et Caus. Morb.

paracentesis septies operata erat. Post mortem calculus concretus in receptaculo chyli inventus est.

Renes amplificati fuerunt, inflammati, et etiam suppurati. Denique nulla viscera abdominis sunt, quæ non aliquo modo diversis temporibus affecta visa fuerunt.

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Dyspnœa, quæ in morbi initio nonnunquam apparet e debilitate systematis generalis, et præcipue organorum, quæ respirationem promovent, pendere videtur. In statu provectiore tamen plane oritur ex aquæ collectione in cavo abdominis, quæ descensum liberum septi transversi impedit. Potest etiam niti quodammodo sanguinis congesti-

one in pulmonibus, quæ e vultus lividitate interdum accidisse apparet. Hoc autem maxime conspicuum est, quum hydrothorax morbum comitatur, quod haud raro accidere videmus.

Œdema crurum et pedum, quod seipsum in hoc morbo citius seriusve ostendit, hac ratione explicari potest. Humor in vena cava inferiore deprimitur, atque ita sanguinis reditum liberum ab extremitatibus inferioribus tardat et impedit, et partem ejus quoque tenuiorem in texturam cellularem effundi efficit. Si autem in primo stadio morbi adest debilitas corporis generalis, œdema laxitati præcipue arteriarum attribui potest, quarum extremitates resolutæ et debiles plus humoris solito exhalant. In hac conditione infirma, vasa absorbentia, verisimile est, debilitatis participia sunt, ideoque munere solito et idoneo perfungi nequeunt: hinc humor vel in vasis, vel in membrana cellulari pedum et crurum detinetur, atque œdema constituit.

Urina parca, ut nonnulli dictitant, a secretione diminuta renum derivatur, et quodammodo res se fortasse habet ; hanc enim, accumulationi aquæ præcedere, nonnunquam observamus. Sed causa ejus præcipua esse videtur determinatio mutata partis tenuioris sanguinis a partibus corporis remotis ad cavitatem abdominis.

Sitis et cutis arida, eâdem causâ nituntur ; pars enim aquosa sanguinis, quæ naturaliter glandulis secernentibus et summæ cuti suppeditatur, ad superficiem internam abdominis derivatur, ibique copiose exhalantibus effunditur. Hinc saliva et exhalatio per cutem solita parciora sunt.

Appetitus diminutus debilitate fibrarum ventriculi musculorum oritur, verisimile est ; neque mirandum est, ut Dyspepsia accideret, cum magna aquæ moles ventriculum comprimit, ejusque functiones perturbat, et hepar

quoque, cum tumescit, ut haud raro fit, in ventriculum jacet, plusque adhuc motus ejus impedit. Præterea, bilis et quoad quantitatem atque qualitatem vitiosa, muneribus, quibus destinata esset, concoctionem nempè conficiendo, multo minus facile perfungitur, hinc ventriculus et intestina stimulo solito privantur.

Vultus pallidus, qui huic morbo fere adest, diminutione particularum sanguinis rubrarum, maxime fortasse nititur: nam videmus vires concoctionis chylum vix, aut ne vix quidem, parare posse; neque vasa sanguinea corpori nutrimentum idoneum suppeditare; si appetitus adeo imminutus est, ut cibi non recipiantur in ventriculum, quibus pabulum ad nutrimentum derivetur.

Pulsus inordinatus. Sub initio morbi pulsus debilis et languidus est; progressu autem frequentior evadit, ut debilitas ingraves-

cit; et tandem inæqualis. Moles enim aquæ descensum septi transversi prohibet, motus cordis liberos impedit, eique irritationem haud parvam dat, hinc motus cordis arteriarumque inæquales et abnormes fiunt.

DE CURATIONE.

In curationem tractando consilia tres sunt quæ attentionem postulant.

1mo, Causas evidentes submovere.
2do, Humorem accumulatum dissipare.
3tio, Vires ægri reficere.

In consilium tamen primum conficiendo, secundum quoque partim explemus, dum

interea quodammodo tertium perficere possumus. Curationem igitur, sine attentione finita ad hæc consilia, persequi licebit. Attentionem primam causis excitantibus convertere necesse est, quæ quam maxime submovendæ sunt. Si morbus ex hepate scirrho infestato, quod sæpius fit, vel aliorum viscerum abdominis vitiis, exoriri videtur, tum viscus vitiosum atque offensum reficere nitendum est. Ad quam rem conficiendam nullum medicamentum aptius, quam *hydrargyrus* est. Præparationum omnium *submurias* optima est; quòd intra paucos dies effectus hydrargyro proprios in corpore movet, et eodem tempore alvum solvit, atque secretiones cutis renumque adauget; hepati vero virtus ejus salutaris præcipue convertitur, quod paulatim quidem mutationem in melius induit. Quoniam igitur hydrargyrus vires suas exerit, non solum viscera morbosa renovando, verum etiam renes stimulando, urinam promovendo, ideoque humorem ab-

dominis evocando, remedium asciti utilissimum est. Adeo adhibendus est, ut gingivas teneras faciat, quæ ita tenerentur pro tempore idoneo. Abdomen unguenti hydrargyri drachma mane et vespere inungere et fortiter per horæ dimidium fricare efficacissimum est.

Scilla maritima in medicina temporibus antiquissimis usurpata est, summis laudibus omni ævo elata, et meritos honores ad hunc usque diem vindicavit. Hæc secretiones fere omnes, præcipue vero pulmonum, et renum promovet, dum alvum quoque solvit, et omni in aspectu effectibus hydrargyri admodum auxiliatur. Scillæ maritimæ granum mane et vespere simul cum dosi idonea hydrargyri, adhiberi potest, et pro re nata augeri : vel Scillæ dosis omni mane, et hydrargyri vespere summo cum commodo alternari potest. Hæc duo medicamenta simul haud raro curationem efficiunt.

Si ascites ex vasis lymphaticis aut vesicula aut sacco ruptis, vel e tumore venas et vasa lymphatica premente, exoritur, nulla medicina dissipari potest. Paracentesis remedium unicum est, quo allevatio temporaria solummodo est expectanda. Sin autem e debilitate summa exhalantium et absorbentium, vel obstipatione intestinorum oritur, ei medicina in promptu est; purgantia nimirum et roborantia.

Sydenhamus medicus ætatis suæ celeberrimus in hoc morbo fortia purgantia multum commendavit. Utiliora esse magno torpore corporis, aut viscerum obstructione compertum erit; et si nulla febris est, aut nulla determinatio in locum; his omnibus conditionibus tamen remedium in diureticis præsto erit; ideo purgationibus potentibus et drasticis raro hodie utimur.

Exhibere a quatuor ad sex drachmas super-

tartritis potassæ alvum ducit, et hydropi bene accommodatum videtur, quia vi stimulante actionem dicitur absorbentium augeri, et hoc præcipue utile invenietur, si adsit febris, quia alvum solvit et tempore eodem corpus totum refrigerat, neque debilitatem intestinorum affert in purgationibus drasticis adeo cavendum. * Super-tartris potassæ pro ægroti conditione ad alvi ductionem cum senna, gambogia, &c. conjungi potest. Purgantia frequenter administranda sunt, si quibus solis ascitem medicare conemur; quotidie quidem administrari oportet, si vires patiantur, donec tumor Ascitis submotus fuerit.

Digitalis Purpurea. Hoc remedium attentionem medicorum merito sibi vindicavit; et certe effectus notatu dignissimos in corpore efficit, locumque tenet excelsum inter

* Vide Lower.

medicamenta, quæ *diuretica* nominata sunt. Digitalis purpurea vires sibi proprios possidet, mobilitatem systematis totius nimiam sedandi, vasaque lymphatica omnia eodem tempore in actionem celeriorem stimulandi. Illis viribus pulsum frænat, impetumque ejus minuit, ideoque exhalationem ab extremis arteriis effusam parciorem reddit; dum vasa lymphatica roborare, stimulare, plusque solito absorptionem humoris exhalantibus effusi promovere videtur. Hinc igitur Asciti remedium utilissimum et efficacissimum promittit. Digitalis sub forma pulveris vel tincturæ adhibeatur; pulveris granum unum, primo, mane et vespere; et intra paucos dies sensim dosis augeatur ad grana duo bis vel ad summum ter in dies, adhibere satis est: tincturæ guttæ octo vel decem pro dosi primo adhibeatur bis terve indies, et postea paulatim adaugeatur dosis ad guttas viginti. Digitalis tamen effectus sibi proprios interdum non, nisi post multos dies, ostendit, et

deinde in corpore quasi accumulata, semel eos vehementer exerit, longeque trans metam procedit. Hoc autem non perpetuum est; effectus enim plerumque tempore idoneo ostendit.

Nicotiana Tabaccum Doctor Fowler summis laudibus extulit, et remedium utilissimum expertus est. Ille infusi guttas sexaginta administravit, sensimque dosin auxit pro re nata dum urina multo copiosius fluere cœperit.* Alii medici quoque hoc medicamentum utile invenerunt.

Pyrolam umbellatam nuper commendavit Doctor Somerville ac tonicum et diureticum potens, quæ sub oculis ejus cum magno beneficio in Canada adhibita fuit. Doctor Home semper cupidus vim remediorum scrutandi, pyrolam quibusdam ægrotis

* Vide Fowler.

hydropicis in Nosocomio, hieme peracta exhibuit. Effectus tamen diuretici non apparuerunt priusquam dosis permagna adhibita est; sed pyrola infeliciter brevi exhausta, conclusio justa quoad vires ejus diureticas non potuit obtineri.

Stimulantia et *Tonica* quoque remedia utilissima asciti sunt. Quorum efficacissima sunt Cinchona officinalis, præparationes ferri, Serpentaria Virginiensis, Angustura, Columba, Gentiana Lutea, aliaque amara, et aromatica. Aliquam præparationem eorum adhibere simul cum diureticis et purgantibus interdum necessarium est.

Multa alia remedia in usu asciti curationi fuerunt, de quibus vix opus est hic mentionem facere.

Exemplum insigne tamen, stimuli fortasse maniâ orientis, memorare liceat. Casum fæ-

minæ annos viginti tres natæ nosmet ipsi bene recordamur, quæ sub cura Domini Wilson, Chirurgi periti apud Jedburgum, sub Ascite Abdominali laborabat. Remediis potentissimis sine fructu administratis, paracentesis tandem perfecta est; ægra semper postea convaluit; et aqua nunquam rediit. Adolescens tamen maniâ tentata erat, cui fortasse operationis successus maxime attribuendus. Ad morbum removendum, stimulantia (ut ante dictum) utilissima esse inveniuntur, et mania, ut omnibus cognitum est, vires et animi et corporis magnopere intendit, et ipsa stimulo multo efficaciori est, quam remedia omnia, quibus uti potuerimus. Observandum est etiam nullam animi ægritudinem hoc in casu extitisse, quæ instar morbi, vires consumit, et suam vim contra stimulantia assidue intendit. Hic affectus animi anxietatis casu præsenti manifeste patuit. Intervallis mens rediit, et tunc temporis accedebat animi depressio, et simul cum ea non modo sanitatis

retardatio, sed aquæ in abdomine nova accumulatio, quam mania iterum magna ex parte dissipavit.

Postquam autem omnes nostri conatus tumorem medicamentis dissipare defecerunt, et tensio abdominis propter magnam aquæ accumulationem intolerabilis facta est, tum ad operationem chirurgicam paracentesin nimirùm decurrere solitum est.

Experientia autem medicos docuit, ægrum morbi duratione ita labefactum et viscera ejus ita injuriose aquæ accumulatione oppressa, ut multum commodi ex hac operatione raro evenerit. Hanc autem operationem, verisimile est, magis prosperam eventuram esse si citius perficiatur, * et præsertim si non diu permansit morbus, et si æger est florente ætate, et

* Vide Fothergill.

constitutione sana præditus. Operationem vero deferre donec omnibus remediis male evenerit, minime nostra in opinione oportet. Paracentesin Doctor Gregory acumine solito perfici plerumque commendat, priusquam humor abdomen adeo distendit, ut pressu ejus ora absorbentium hebetaverit atque læserit, et post operationem medicamenta idonea felicius administrari possunt. In statu morbi provectiore hac operatione utimur potius spe levationem temporariam præbendi, quam morbum ex toto submovendi.

FINIS.